

quòd sint criteria vulgò *intuitiva*, seu immediatè evidentia. Quare non propriè demonstrantur, sed nullà egent demonstratione, imò omni demonstratione clariora sunt.

Insuper, ut demonstrari, ita nec impugnari possent sine quadam *petitione principii* vel contradictione; v. g. qui demonstrare, vel impugnare vellet vim memoriæ, illam in suâ argumentatione præsupponeret. Quævis enim argumentatio pluribus propositionibus constat, quæ singulatim et cum successione inter se comparantur, donec ex iis eruatur conclusio. Porrò ubi conclusio ex præmissis infertur, jam præmissæ præterierunt; nec educi posset conclusio, nisi præmissarum servaretur memoria. — Simili modo liceret ostendere vim conscienciæ, intelligentiæ ac sensuum in omni demonstratione præsupponi, et ideo nec demonstrari, nec impugnari posse.

63. Obj. — Sæpe dicitur: *memoria me fefellit*; vel: *ni fallit memoria*. Ergo inter criteria veri reputanda non est.

R. dist. ant., neg. cons. Quippe istæ voces: *memoria me fefellit*, solùm probant memoriã decipere, si non, ut par est interrogetur, aut præcipitanter mens pronuntiet, aut affirmet plus quàm percipiat. — Istæ verò: *ni fallit memoria*, probant eam quandoque ancipitem hære, ac potentiam quamdam esse satis obliuiosam, non autem fallacem.

ARTICULUS V

De Criterio rationis deductivæ, seu de syllogismo.

64. Intellectus hominis, propter imbecillitatem suam, paucissimas veritates primo intuitu assequitur, plures autem per viam ratiocinationis. Quòd si ex particularibus phænomenis assurgat ad leges generales, *inductivum* argumentum adhibet; sin ex principiis universalioribus ad conclusiones speciales in his comprehensas descendat, utitur argumento *deductivo*, quod propriè syllogismum vocant.

65. Syllogismum esse criterium veri, philosophi omnes admiserunt, illumque habuerunt pro medio *demonstrationis*

perutili. At Baco, Lockius aliique pauciores putârunt solam inductionem ad veritatem *inveniendam* conferre.

66. Assertio 1^a: *Syllogismus est criterium veritatis.*

Syllogismi ars omnis in eo est, ut *inferat* veritates quasdam minùs generales ab aliis veritatibus universalioribus, in quibus continentur. Ut ergo valeat, duo requiruntur et sufficiunt, nimirum 1^o esse quædam universaliora principia quæ sub se habeant veritates alias specialiores; 2^o esse *medium* aliquod vi cuius veritates specialiores detegantur comprehensæ in principiis. Atqui hæc duo constant.

Constat 1^{um}; nam v. g., ista propositio: *parentibus honor est exhibendus*, omnino generalis est, et sibi vult a filiis, quotquot sint, parentibus suis honorem deberi.

Constat 2^{um}; ut enim ad exemplum allatum redeamus, experientiã constare potest Petrum esse filium Pauli. Unde necessariò sequitur Paulo honorem a Petro deberi, quandoquidem jam certum est conclusionem eam arcè connecti cum propositione universaliori: *parentibus honor est exhibendus*.

Quare nemo negare potest conclusionem, quin præmissas neget; ac proinde, si quis, præmissis concessis, conclusionem rejiceret, sibi ipsi contradiceret; qui enim admittit aliquod principium, eo ipso *implicitè* admittit conclusionem in principio clarè contentam.

Confirmatur, quia syllogismus est *naturalis* operatio rationis humanæ. Atqui ratio, perinde ac cæteræ animæ facultates, ad suum objectum ordinatur, a quo deficere nequit, nisi *per accidens*. Falli autem potest per accidens, maximè in longioribus ratiocinationibus, ubi requiritur magna vis attentionis, ut omnes syllogismi regulæ seruentur, nihilque aut falsi aut alieni obrepat.

67. Assertio 2^a: *Syllogismus est criterium veritatis etiam inveniendæ (1).*

Illud quippe veritatis inveniendæ criterium dici debet, quod nos docet aliquid priùs ignotum. Atqui talis est syllo-

(1) Cf. Tullius, I *Acad.*, l. II, c. 8; S. August., *De immort. animæ*, c. 1, n. 1; S. Thom. in I *Poster.*, lect. 2^a; Rabier, *Psychol.*, c. XXV, § 2, 3.

gismus; nos enim docet veritatem aliquam nondum nobis agnitam, in aliâ veritate jam notâ contineri; ac proinde veritatem istam nobis revelat.

Nec *objiciatur* conclusionem in principio generali contineri, ac proinde nihil novi ei addere. Nam clare D. Thomas respondet: « Discursus est procedentis de noto ad ignotum. Unde manifestum est quòd quando cognoscitur primum, ignoratur adhuc secundum. Et sic secundum non cognoscitur *in primo*, sed *ex primo*. *Terminus vero discursus* est quando secundum videtur in primo, resolutis effectibus ad causas; et tunc *cessat discursus*. » (1^a, q. 14, a. 7, c).

Confirmatur, quia nemo negat *inductionem* esse organum ad veritatem inveniendam idoneum. Porrò, in inductione, lex generalis quæ ex factis observatis eruitur, in iis etiam continetur; alioquin ab iis inferri jure non posset. Attamen requiritur operatio rationis et *factorum interpretatio*, ut detegatur in iis contenta. — Idem dixeris de syllogismo; requiritur operatio rationis et *interpretatio principiorum*, ut detegatur conclusio in ipsis contenta. Et sicut multi sunt qui facta interpretari et ex illis leges inferre quas continent nesciunt, ita multi quoque sunt qui principiorum vim non capiunt, nec valent ex ipsis quas continent eruere conclusiones.

Adjice quòd scientiæ plures, geometria, algebra (1), aliæ id genus, quæ suis incrementis meritò gloriuntur, non experientiâ vel inductione, sed syllogismo maximè utuntur.

68. *Corollarium*: syllogismus prodest ad inveniendas veritates tum *necessarias*, tum *contingentes*. In 1^o casu, quum ambæ præmissæ sint *necessariæ*, nihil quidem de realitate rerum externarum docet, sed detegit varias relationes inter

(1) Ad rem Graty: « On nous (dira) peut-être que, par l'algèbre, l'esprit humain a découvert la loi de la gravitation universelle, tandis que le syllogisme ne découvre rien. A quoi nous répondrons que l'algèbre et le syllogisme sont la même chose, et que par conséquent le syllogisme a découvert tout ce qu'a découvert l'algèbre. C'est ce que nous pourrions prouver en appliquant précisément le syllogisme en forme au problème de la gravitation universelle, et en montrant que la belle découverte de Newton se déduit des découvertes de Képler, par voie d'identité. » (*Logiq.*, t. I, l. III, c. 3, n. 2).

conceptus nostros; ex quo, ut exemplum sumamus, omnis enascitur mathematicarum scientiarum disciplina. — In 2^o casu, quum alia præmissarum sit contingens, et alia necessaria, jam videmus in rebus ipsis existere, quod in abstracto positum speculabamur; sicque ordo rerum cum *idearum* ordine colligatur; unde incrementum accedit scientiis tum rationalibus, tum naturalibus.

ARTICULUS VI

De Criterio rationis inductivæ, seu de inductione.

Quærendum est 1^o de illius notione; 2^o de illius speciebus; 3^o de illius utilitate; 4^o de certitudine principii quo innititur; 5^o de conditionibus requisitis ut certitudinem largiatur quoad casus particulares.

§ I. — De notione inductionis.

69. Inductio est *is argumentandi modus, quo ex particularibus phænomenis lex universalis infertur*.

Duplici modo in eâ procedere licet: 1^o postquam sæpe observatum est ab aliquâ causâ in certis circumstantiis certum effectum productum fuisse, concluditur hunc effectum ei *naturalem* esse et manifestare ipsius *legem*, ac proinde positus in futurum iisdem circumstantiis, ab eâ iterum producendum fore; ista conclusio nititur in *constantia legum*; v. g. ex eò quòd sæpe aliquem lapidem gravem esse expertus sum, infero futurum fore ut eum gravem esse iterum experiar.

2^o Item, pronuntiatur causam nondum quidem observatam, at *ejusdem naturæ* ac alias causas jam observatas, eosdem effectus producturam esse, in iisdem circumstantiis; v. g. ut exemplo allato utar, persuasum habeo lapides omnes graves esse, quia existimo earumdem causarum eosdem esse effectus; ista conclusio nititur in *universalitate legum*. — Vi ejusdem principii, viso vel audito phænomeno ab ignotâ causâ producto, simili tamen alteri phænomeno alicujus causæ

prius cognitæ, positis iisdem circumstantiis, concludere licet causam eam cujus effectum duntaxat cernimus, ejusdem naturæ esse atque causas a nobis perspectas.

§ II. — De speciebus inductionis.

70. Inductionis divisio duplici ex parte potest accipi, nemp ex numero phænomenorum observatorum, et ex eorum naturâ, ac proinde ex naturâ legum quæ ex iis eruuntur.

1° Si prius, habetur inductio completa, incompleta sed sufficiens, aut simpliciter incompleta.

Inductio completa ea est in cujus antecedenti numerantur omnes res singulares quæ ad aliquam speciem, vel omnes species quæ ad aliquod genus pertinent, ut in conclusione attribuatur toti quod ad omnes et singulas ejus partes pertinere dignoscitur. — Inductio ista plenam certitudinem confert; siquidem attribuit generi vel speciei quod competere scitur omnibus speciebus quæ in genere, vel omnibus individuis quæ in specie continentur. — Ast verò possibilis non est, si de individuis physicis agatur, quia nobis non licet omnes et singulas res quæ ad aliquod genus pertinent, perillustrare; v. g. non possumus omnia corpora quæ in mundo sunt inspicere, ut cognoscamus vim gravitatis inesse omnibus. — Cæterum, etiamsi possibilis foret, nihil nos doceret novi; quamobrem de illâ non agitur, ubi sermo est de vi inductionis.

Inductio incompleta, sufficiens tamen, ea est quæ, licet in antecedenti omnes et singulas partes alicujus generis vel speciei non expenderit, nihilominus sat multas expendit ut partes non notas pro notis habere queat, easque omnes generi vel speciei attribuere. Res exemplo declaratur: expertus sum multa corpora gravia esse; inde concludo alia omnia corpora, quamvis ea non examinaverim, vi gravitatis etiam pollere, ex eò quòd omnia corpora sint ejusdem naturæ, ac proinde omnia habere debeant proprietatem quæ in multis reperta fuit, et quæ ideo naturalis illis dicenda est. — Inductio de quâ nunc, ea est quæ propriè inductionis nomine appellatur,

et cui vim inesse ad inveniendam veritatem infra probabitur.

Inductio demum incompleta nec sufficiens, illa est quæ, observatâ qualitate in paucis alicujus speciei individuis, colligit eam omnibus ejusdem speciei individuis convenire, vel observato semel aut iterum alicujus causæ phænomeno, concludit ipsum illi naturale esse. Ea nonnisi probabilitatem confert, majorem vel minorem pro majori vel minori phænomenorum expertorum numero, ac pro majori vel minori circumstantiarum similitudine.

2° Si autem inductio spectetur ex parte naturæ phænomenorum et legum quæ ex eorum observatione eruuntur, dividitur in physicam et moralem.

Prior spectat ad phænomena et leges naturæ corporeæ, posterior ad phænomena et leges rerum immaterialium; e. g., inductio physica nos certos facit solem crastinâ die oriturum esse. Posterior docet hominem quem injuriosa verba non semel ad iram incitaverunt, rursus irasciturum esse, si injuriâ iterum impugnetur.

71. Porrò tria nos docet inductio moralis, nimirum 1° aliis hominibus animam inesse animæ nostræ similem, propterea quòd effectus eosdem producit atque anima nostra; — 2° eorum animam, perinde ac nostram, certis legibus regi, nam experienciâ constat homines, quamvis liberos, in certis positos circumstantiis, certo etiam modo agere; — 3° quid probabiliter acturi simus in his vel aliis rerum adjunctis, vel etiam quid alii homines in iisdem circumstantiis acturi sint. Quippe memores sumus quid jam sæpe egerimus in similibus circumstantiis; unde, habitâ ratione constantiæ inter agendum, probabilitas exsurgit de futuris actionibus nostris. De futuris aliorum hominum actionibus modo simili opinamur, tum quia nobis similes sunt, tum quia nobis experiri licuit plures homines, non secus ac nos in similibus circumstantiis se gerere.

72. Attamen nonnisi probabilitatem largiri potest inductio moralis circa particulares casus, quia homines, utpote liberi, in futurum aliter agere possunt ac egerint antea; quod non contingit in agentibus naturalibus.

§ III. — De utilitate inductionis.

73. Inductio *physica* maximè utilis est, tum quoad *necessitates vitæ*, tum quoad *scientias naturales*.

1° Vita hominis foveri haud posset, sublatâ inductionis notitiâ. Nam necesse est cognoscere alimentorum vim ad nutritionem, plantarumque ad sanationem morborum. Nisi enim perspectum haberemus pane sedari famem, aquâ sitim restringui, ignis calore recreari frigida membra, his plantis salubrem vim inesse, istis autem nocuam, jam vitæ vel nullam, vel non necessitatibus æquam curam agere liceret. At experientia sola hæc aliaque id genus non edocet, nisi inductionis vim addas, cujus ope certum est proprietates in variis corporibus observatas illis naturales esse et eorum manifestare legem. — Hinc est cur infantuli et belluæ ipsæ aliquo, tametsi *instinctivo*, inductionis sensu perfruantur; infantulus enim, si admotâ manu ad ignem, dolorem expertus fuerit, ab igne illam in futurum removendam curabit; item animalia sponte petunt pascua nota, atque a noxiis abhorrent.

2° In inductione fere totæ sunt scientiæ *naturales*; quæ non sola rerum corporearum *phænomena* observant, sed præcipuè attendunt ad earum *legem*, sive *generalem et constantem* rationem secundum quam *phænomena* producuntur. Porrò nonnisi operâ inductionis hauritur notio legum quæ res materiales moderantur. Itaque non solum explicat inductio quæ sint *impræsentiarum* rerum proprietates, verum quæ *olim* fuerint, quæque in *posterum* futuræ sint vaticinatur.

74. — Vehementer quoque utilis dici debet inductio *moralis*, quamvis magnam solum probabilitatem conferat; cum enim prænuntiet nobis quid nos, vel quid alii acturi sint in istis aut iis circumstantiis, nostram agendi rationem, ut opportuniùs videbitur, accommodare possumus, tum quoad nos, tum quoad alios homines.

§ IV. — De certitudine principii inductionis.

75. 1° Principium inductionis a D. Thomâ sic enuntiatur : « *Natura determinata est ad unum* » (1^a, q. 44, a. 2, c); vel : « *Natura uno et eodem modo operatur, nisi « impediatur* ». (1^a, q. 19, a. 4, c).

A recentibus autem philosophis hoc modo : *Eadem causa, in iisdem circumstantiis posita, eosdem producit effectus; vel : similes causæ, in similibus circumstantiis positæ, similes producunt effectus; vel etiam : leges mundi perpetuæ sunt et universales* (1). — Hæc porrò, etsi diversæ verbis formulæ, in unum tamen eundemque sensum conspirant.

76. At non concordant philosophi de *certitudine* principii inductionis. Humius *omnem* illi vim denegat; Reidius arbitratur illud nonnisi *instinctivâ* propensione nobis innotescere; Leibnitzius et Rosminius illud impar existimant quod *perfectam* certitudinem largiatur.

77. *Assertio* : *Inductionis principium absolutâ et scientificâ pollet certitudine*.

PROB. 1^a PARS, quia principium inductionis omnium hominum animo ita *naturâ* insitum est, ut quisque suum ei assensum præbeat, suam conformet agendi rationem. Ut enim supra diximus, infantuli et animalia inductione utuntur ad vitæ suæ necessitates; homines autem singuli, vel ipsi indocti, suam omnem agendi rationem ad eam accommodant.

PROB. 2^a PARS, quia notio *reflexa* principii inductionis partim experientiâ, partim ratiocinio innititur.

1° *Experientia* testatur res creatas non tumultuariò agere,

(1) « Le principe d'induction repose sur deux jugements : L'univers est « gouverné par des lois stables, voilà le premier ; l'univers est gouverné « par des lois générales, voilà le second... Il suit du premier jugement « que, connues en un seul point de la durée, les lois de la nature le sont « dans tous ; il suit du second, que connues en un seul cas, elles le sont « dans tous les cas parfaitement semblables. » (ROYER-COLLARD, loc. cit. sup.)

at certis fixisque *legibus* regi, ordinemque rerum singularum esse constantem, et illa quæ hodie gerantur eadem esse quæ olim gesta sint.

2^o *Ratio* hujus *constantia* legum physicarum affert *explicationem*. Nam ea est natura entium *physicorum*, ut uno et constanti modo agere *debeant*. Ut enim S. Thomas advertit : *eo modo aliquid operatur, quo est* (1^a, q. 73, a. 2, c); nimirum ratio agendi entium naturam eorum sequitur, quippe quòd natura cujusque entis principium sit illius operationum. Porrò agentia physica ita condita sunt, ut intelligentiâ, proindeque libertate haud fruuntur. Ergo suam agendi rationem immutare non possunt, et in iisdem posita circumstantiis, uno eodemque modo operentur oportet. Atqui hoc sibi vult principium inductionis.

Confirmatur bonitate et sapientiâ Dei. — Repugnat *bonitati* Dei hominum vitam incertam esse quoad ea quibus maximè *indigent*, videlicet quoad ea quæ adipiscenda sunt, utpote opportuna ad nutritionem, vel vitanda, utpote nocua atque inimica. Porrò demptâ inductionis notitiâ, nec præteritarum rerum experientia prodest, nec futuris providere licet, totaque vita ad *præsens* tempus coarctatur. — Repugnat *sapientiæ* Dei nullum rerum ordinem *permanere*, nec præsentia cum præteritis, nec futura cum præsentibus ullo fœdere colligari, sed omnia fluctuationibus obnoxia esse. Itaque iudicium quo asserimus leges esse in mundo, defluit ex hoc *necessario* iudicio quo asserimus Deum esse sapientem.

78. Nec inductioni crimini vertendum est quòd *perfectam* certitudinem haud conferat, quia leges naturæ *derogationem* pati possunt.

Sanè physicae leges pleræque *metaphysicâ* necessitate non gaudent, sed contingentes dicendæ sunt, perinde ac res ipsæ naturales quas moderantur, Deusque, naturæ legum lator liberimus, iis quandoque derogationem afferre potest, *miracula* patrando. At quanquam inductionis certitudo sit *hypotheticè* tantùm necessaria, sicut leges ipsæ naturales, integra tamen remanet *suoque in genere perfecta*, positâ etiam miraculorum possibilitate. Hæc enim sunt infrequens aliquid

præter *consuetum* rerum ordinem, quod proinde constantiam ac perpetuitatem legum naturæ minimè perimit.

§ V. — De conditionibus requisitis ut vi principii inductionis certitudo habeatur quoad leges rerum in speciali et casus particulares.

79. Hactenus probavimus *generatim* esse leges in mundo, uti profitetur principium inductionis. Quæritur jam *quandonam*, ope ipsius principii, certis nobis esse liceat de legibus rerum in *particulari*; quandonam certi esse possimus quamdam qualitatem ad *naturam* alicujus rei pertinere, vel *talem* effectum a *tali* causâ in *talibus* circumstantiis esse producendum?

80. PROP. *Inductio nos certos facit de specialibus rerum legibus et effectibus, cum sufficiens phænomenorum numerus observatus est, et eadem sunt circumstantiæ, salvâ tamen possibilitate miraculi.*

1^o *Hæc duæ conditiones requiruntur*. — Nisi enim sæpius quamdam qualitatem in aliquo ente expertus essem, vel aliquem effectum ab aliquâ causâ productum vidissem, non possem certò concludere eam qualitatem, vel effectum hunc illi *naturalem* esse, et manifestare ipsius *legem*; ac proinde non possem transferre qualitatem hanc vel effectum ad cætera individua ejusdem speciei.

Item nisi causa, de cujus effectu producendo quæritur, in iisdem circumstantiis versaretur ac cæteræ causæ ejusdem speciei jam observatæ, definire non possem eundem effectum ab eâ esse producendum, nec applicaretur in eo casu principium inductionis.

2^o *Sufficiunt*. — Etenim si qualitas quædam sæpius observata est in aliquo ente; vel, si quem effectum ens illud semper in talibus circumstantiis produxit, jam ea proprietas, vel effectus iste illi *naturalis* est, manifestat *legem* illius. Tum igitur ita ratiocinari licet : Causa ista in talibus circumstantiis posita, semper effectum eum produxit. Ergo effectus ille ipsi naturalis est, sive ab ipsius naturâ defluit. Ergo in

futurum eundem effectum producet, quoties in iisdem circumstantiis versabitur. Ergo etiam causæ similes, in similibus circumstantiis positæ, similem effectum producent.

Diri salvâ possibilitate miraculi, sensu supra explicato.

81. *Quomodo constare possit sufficientia numeri phænomenorum observatorum et circumstantiarum identitas?*

Numerus phænomenorum observandorum, ad inferendam aliquam particularem naturæ legem, *mathematicè* nequit determinari. Modò requiritur major, modò minor, pro naturâ factorum de quibus agitur, vel circumstantiarum in quibus producuntur.

Quod spectat ad circumstantias, non omnes, nec eodem modo in phænomenon influunt; aliæ quippe sunt indifferentes; v. g. sol manè oritur, quicumque sit anni mensis, vel dies; aliæ autem conferunt ad phænomeni effectum; v. g. aliam sensationem experiar, si me in aquas misero, hiemis tempore, aliam, si æstate.

Porro, ut cognoscatur quænam ex variis circumstantiis pro effectûs causâ debeat haberi, ad *experimentum* aliquando recurrendum est. Hoc autem triplici modo institui solet:

1^o Variantur omnes circumstantiæ, unâ tantùm servatâ, quæ putatur probabilior; si effectus producitur, huic circumstantiæ debet attribui; is processus vocatur methodus *concordantiæ*.

2^o Econtra, variatur ea sola circumstantia, cæteris omnibus remanentibus; si non producitur effectus, argumento est eum ab eâ omnino pendere; is processus dicitur methodus *differentiæ*.

3^o Augetur vel minuitur illa circumstantia; si effectus simul eademque proportione augetur, vel minuitur, constat eum ab illâ oriri; is processus dicitur methodus *variationum correlativarum*.

Quòd si variæ istæ methodi adhibitæ fuerint, et ad eundem exitum res devenerit, nulla dubitandi causa remanebit (1). Cæterum, speculator sagax non tam ad experimento-

(1) Tum applicatur regula in scientiis physicis notissima: « Ea est ha-

rum *numerum*, quam ad *qualitatem* attendit. Plus enim habet ponderis experimentum unum, si fuerit illustre, quàm plura, si mediocria sint, vel ancipitis interpretationis.

ARTICULUS VII

De auctoritatis divinæ criterio.

Prænotanda circa auctoritatem in genere et ejus relationem cum ratione.

82. Ad discendum dupliciter ducimur, ait S. Augustinus auctoritate atque ratione. (*De ordine*, l. 2, c. 9, n. 26). Ratio, in hoc textu, *lato sensu* a S. Augustino sumitur, quatenus designat varia media seu criteria quibus veritatem *propriâ* inquisitione adinvenimus, seu, posito quòd nobis ab aliis proponatur, eam ipsi *intelligimus*, ita ut motivum nostræ adhæSIONIS sit evidentia rei. Tum dicimur *scire*. — Si e contra veritatem aliquam nec ipsi invenimus, nec propositam intelligimus, jam *fidem* habemus et dicimur *credere*, quia motivum adhæSIONIS nostræ *totum* in aliorum *auctoritate* situm est. — Fides ergo *convenit* cum scientiâ, quatenus includit certitudinem, sed ab eâ *differt*, quatenus, ut monet D. Thomas, « non habet *visionem*. » (1^a 2^e, q. 67, a. 3, c).

83. Hinc *sequitur* eandem veritatem pro eodem homine non posse simul esse objectum *fidei* et *scientiæ*; alioquin, vi definitionis, foret simul *visa* et non *visa*.

84. Porro si attendatur ad ordinem *temporis*, fides prior est ratione, quatenus *infans* prius credit quam intelligat, defectu experientiæ et rationis. Si autem consideretur ordo *dignitatis*, ratio prior est fide, quippe quòd fides, *quâ talis*, præ se fert cognitionem *imperfectam*, quatenus excludit visionem seu evidentiam, quam includit ratio. — Cæterum, al-

benda causa phænomeni, quæ ubi adest, phænomenon adest; ubi demitur, phænomenon demitur; ubi crescit, phænomenon crescit; ubi decrescit, phænomenon decrescit. »

teram altera mirum in modum *complet*, nedum alteri altera opponatur.

85. Ex dictis, fides generatim sumpta nititur in aliquâ auctoritate. Porrò auctoritas est *dignitas vi cujus aliquis meretur nostram fidem*. Hæc autem dignitas duplicem includit *qualitatem*, aliam *intellectualem* et *moraalem* aliam. Ut enim alicui, ob *solam* ejus auctoritatem, fidem adhibeamus, oportet competentem inesse illi *scientiam* et certam *veracitatem*, quatenus nec sit *deceptus* ipse, nec *deceptor*.

86. Qui auctoritate præditus est, veritatem nobis manifestat aliquo signo seu testimonio. Testimonium igitur est *signum quoddam sensibile quo quis aliquid alicui manifestat*. Quo semel posito, auctoritas in nobis generat fidem.

— Fides autem distinguitur in *divinam* et *humanam*, prout nititur in auctoritate Dei vel hominis. De utraque jam nobis disputandum est.

Circa divinam auctoritatem, dicemus de notione, vi, possibilitate et utilitate revelationis.

§ I. — De notione revelationis.

87. 1° Revelatio, quoad *nomen* spectata, significat *remotionem veli*, sicque designat *manifestationem rei occultæ*. Ibi spectatur, quatenus ordinem dicit ad *manifestationem veritatis*.

2° Quoad *rem*, sumi potest latissimè et strictè.

Si *latissimè* sumatur, definiri potest *manifestatio veritatis a Deo facta naturaliter homini*. In eo sensu, illæ etiam veritates quas ratione nostrâ adinvenimus, *revelatæ a Deo* dicebantur, saltem *mediatè*; nam, ut ait D. Thomas « lumen « rationis naturalis nihil aliud est quàm *impressio luminis* « divini in nobis. » (1^a 2^o, q. 91, a. 2, c); et « quòd aliquid per « certitudinem sciatur, est ex lumine rationis, divinitus « interius indito, quo in nobis *loquitur Deus*. » (*Qq. disp. de verit.*, q. XI, de *Magistro*, a. 1, ad 13).

Revelatio *strictè* accepta definitur *manifestatio alicujus veritatis a Deo facta homini supernaturaliter*.

Dicitur 1 manifestatio alicujus veritatis, quæcumque hæc

sit, factum vel principium, dogmatica vel moralis, naturalis vel supernaturalis; hæc enim omnia revelatio potest amplecti.

Dicitur 2 facta supernaturaliter, scilicet præter ordinem naturæ consuetum, seu aliter ac per media cognoscendi quæ a naturâ accepimus. — Itaque si revelatio non semper est supernaturalis ex parte *rerum* quæ manifestantur, at semper ex parte *modi* quo manifestantur; vi cujus *essentialiter* differt a cognitione merè naturali.

§ II. — De Vi revelationis.

88. *Assertio*: Revelatio, si existat, habenda est pro *veritatis criterio*.

Credendum est alicui verum docenti. Atqui Deus non nisi verum nos docere potest; siquidem decipi nequit, utpote infinite intelligens; nec decipere potest, utpote infinite intelligens et sanctus. Mendacium enim crimen quoddam est, ac decipere turpe vulgò existimatur. — Repugnat etiam ens infinite intelligens a veritatis amore discedere, et quos potest, inducere in errorem.

Dixi revelatio, si existat; quanquam enim revelationis existentia certa probatur ex theologiæ sacræ documentis, ad philosophiam tamen quæstio illa propriè haud pertinet.

§ III. — De possibilitate revelationis (1).

89. *Errores*. Hactenus philosophi non solum non impugnaverant revelationem, sed optaverant peropportunam tum generi humano, tum ipsi philosophiæ; et nobilissimi philosophorum ethnicorum, Socrates, Plato, Plutarchus, Tullius, rationis imbecillitatem atque insufficientiam suam libenter profitebantur. (Cf. Plato, in *Phileb.*, Arist., *Metaph.*, XII, 8, Tullius, de *Legib.*, II, 16 et *Tuscul.*, I, 12), et ea quæ docebant sæpe repetebant e *traditione majorum*, utpote diis propiorum.

At recens philosophi non pauci revelationi devoverunt bellum; ita sæculo decimo septimo, Hobbes, Spinoza, Bayle;

(1) Cf. *Le Kantisme et le Positivisme*, c. XI. *Le surnaturel*.

sæculo decimo octavo, Helvetius, d'Holbach, Diderot, Volney; nostris autem diebus, *rationalistarum* turba incredibilem in modum augetur; inter quos numerandi sunt plurimi apud nos, nempe Cousin, Jouffroy, Damiron, Saisset, J. Simon, aliique magis inglorii.

Li porrò revelationem nec existere, nec possibilem esse asserunt, sive circa veritates rationales, sive circa veritates rationi impervias versetur; quia in 1^o casu inutilis foret, et in 2^o contradiceret rationi.

90. Assertio: *Possibilis est revelatio sive quoad veritates naturales, sive quoad veritates rationi impervias.*

PROB. 1^a PARS, quia veritates naturales possunt homini a Deo manifestari *supernaturaliter*, nimirum præter ordinem consuetum naturæ. Ordinem enim naturalem liberè instituit Deus, proinque illi derogare potest, *præter* aut *supra* eum aliquid faciendo.

Duplici autem modo supernaturaliter hominem alloqui potest, scilicet *internè* et *externè*; internè quidem, si mentem nostram subitâ quâdam, manifestâ et insperatâ luce illuminet; externè vero, v. g., immisso Angelo cœli nuntio, vel revelatione factâ cuidam homini, qui aliis hominibus eam communicandam suscipiat.

PROB. 2^a PARS, quia existunt multa mysteria relativè ad hominem; alioquin intelligentiâ infinitâ gauderet Deique adæquaret scientiam, quod a rationis et experientiæ veritate alienum est. Nec in ordine supernaturali tantum, verum etiam in ordine *naturali* plurima hominem fugiunt; et quocumque se vertat, terminos invenit, quos transgredi nequam potest.

91. Solvitur objectio. Contendunt rationalistæ mysteria contradicere rationi, aut nullum ei sensum intelligibilem exhibere. At verò stant *supra*, non autem *contra* rationem. Fides enim docet veritates ordinis diversi ac ratio, sed non magis ei adversas, quàm dogmata metaphysicæ documentis physicæ adversa sunt.

Item, quanquam haud *comprehendimus* mysteria, intelligimus tamen quid significant; v. g., in illâ propositione: *tres*

sunt in Deo personæ, intelligimus quid significant voces, *tres*, *personæ*, *in*, *Deus*, ac proinde attributi et subjecti notionem habemus, et ideo propositio quæ mysterium enuntiat certam nobis exhibet significationem.

Quinimo, jam diximus ipsa mysteria illustrari posse *analogis* desumptis ex rebus *naturalibus*; unde in eorum notitiam venire licet, quæ, ut animadvertit Leibnitzius, non ad *comprehensionem* quidem attingit, verum ad aliqualem *explicationem* sufficit (1).

§ IV. — De utilitate Revelationis.

92. Assertio: *Perutilis est revelatio sive quoad veritates naturales, sive quoad mysteria.*

PROB. 1^a PARS, præsertim quòd spectat ad veritates metaphysicas ac morales, v. g. attributa Dei, naturam, originem et finem hominis, necnon mutuas relationes creaturæ cum Creatore. Nam ex unâ parte, præstat ut hujusmodi veritates ab omnibus, nullâ morâ et plenâ cum certitudine cognoscantur; sunt enim summi momenti; ex aliâ autem parte, cum vel sint excelsæ, vel passionibus obscurari valeant, multorum hominum oculis obumbrari solent; constat enim historia eos qui revelationem aut despexere aut ignoravere, multis circa prædictas veritates erroribus esse abreptos. Sapienter igitur monet D. Thomas revelationem hujusmodi veritatum esse *moraliter* necessariam, ut earum cognitio insit hominibus *communior*, *promptior* ac *certior* (2).

(1) « Il ne faut pas demander toujours *des notions adéquates* et qui « n'enveloppent rien qui ne soit expliqué; puisque même les qualités sensibles, comme la lumière, la chaleur, ne sauraient donner de telles notions. Quand nous parlons de l'union du Verbe de Dieu avec la nature humaine, nous devons nous contenter d'une connaissance *analogique*, « telle que la comparaison de l'union de l'âme avec le corps est capable « de nous donner... Il en est de même des autres mystères, où les esprits « modérés trouveront toujours une explication suffisante pour croire, et « jamais autant qu'il en faut pour comprendre. » (*Théodicée, Discours « de la conformité de la foi avec la raison*, n. 54-56).

(2) « *Necessarium* est homini accipere per modum *fidei* non solum ea

PROB. 2^a PARS duabus rationibus quas exponit D. Thomas et quarum altera se tenet ex parte Dei, altera ex parte hominis.

« Est necessarium hujusmodi veritatem ad credendum hominibus proponi, ad Dei cognitionem *veriorem* habendam. Tunc enim solum verè Deum cognoscimus, quando ipsum esse credimus supra omne id quod de Deo cogitari ab homine possibile est, eò quòd naturalem hominis cognitionem divina substantia excedit. » Atqui « per hoc quòd homini de Deo proponuntur, quæ rationem excedunt, firmatur in homine opinio, quòd Deus sit aliquid supra id quod cogitari potest. »

« Alia etiam utilitas inde provenit, scilicet *præsumptionis* repressio, *quæ est mater erroris*. Sunt enim quidam tantum de ingenio suo præsumentes, ut totam naturam divinum nam se reputent suo intellectu posse metiri, æstimantes

« quæ sunt supra rationem, sed etiam ea quæ per rationem cognosci possunt, et hoc propter tria. Primo quidem, ut *citius* homo ad veritatis divinæ cognitionem perveniat. Scientia enim ad quam pertinet probare Deum esse, et alia hujusmodi de Deo, ultimo hominibus addiscenda proponitur, præsuppositis multis aliis scientiis; et sic non nisi post multum tempus vitæ suæ homo ad Dei cognitionem perveniret.

« Secundo, ut cognitio Dei sit *communior*. Multi enim in studio scientiæ proficere non possunt, vel propter hebetudinem ingenii, vel propter alias occupationes et necessitates temporalis vitæ, vel etiam propter torporem addiscendi; qui omnino Dei cognitione fraudarentur, nisi proponerentur eis divina per modum fidei.

« Tertio, propter *certitudinem*. Ratio enim humana in rebus divinis est multum deficiens: cujus signum est, quia philosophi de rebus divinis naturali investigatione perscrutantes, in multis erraverunt et sibi ipsi contraria senserunt.

« Ut ergo esset indubitata et certa cognitio apud homines de Deo, oportuit quòd divina eis per modum fidei traderentur, quasi a Deo dicta, qui mentiri non potest. » (2^a 2^e, q. 2, a. 4, c).

Concinit Fenelonius: « Les hommes n'ont point assez de force pour suivre toute la raison. Aussi suis-je très persuadé que nul homme, sans la grâce, n'aurait pas, par ses seules forces naturelles, toute la constance, toute la règle, toute la modération, toute la défiance de lui-même qu'il faudrait pour la découverte des vérités même qui n'ont pas besoin de la lumière supérieure de la foi; en un mot, cette philosophie naturelle qui irait sans préjugé, sans impatience, sans orgueil, jusqu'au bout de la raison humaine, est un roman de philosophie. » (*Lettres sur la Métaphysique*, lettre 6^e).

« scilicet totum esse verum quòd eis videtur, et falsum quòd eis non videtur. Ut ergo ab hac præsumptione humanus intellectus liberatus, ad modestam inquisitionem veritatis perveniat, necessarium fuit homini proponi quædam divinitus quæ omnino intellectum ejus excederent. » (*Cont. Gent.* l. 1, c. 5).

ARTICULUS VIII

De auctoritatis humanæ criterio.

Dicendum est 1^o de illius objecto et auctoribus; 2^o de illius fundamento et utilitate; 3^o de illius vi quoad dogmata; 4^o de illius vi quoad facta historica.

§ I. — De testimonii humani objecto et auctoribus.

93. *De testimonii objecto.* Testimonium versari potest vel circa dogmata, vel circa facta seu eventus. Si prius, *doctrinale*, si posterius, *historicum* dicitur.

Testimonium doctrinale duplex est, prout a consensu *populorum*, vel a communi *doctorum* sensu excipitur.

Testimonium historicum amplectitur facta, quæ quidem multiplicis generis distinguuntur. Nam si attendatur ad eorum naturam, alia sunt *naturalia*, alia autem *supernaturalia*. Factum naturale illud est quod sit *juxta* leges constantes atque universales naturæ; factum supernaturale *derogationem* ad easdem leges præ se fert. — Porrò si considerentur circumstantiæ, utrumque potest esse 1^o *perspicuum* et *illustre*, vel *obscurum* et *difficile cognitum*; 2^o *publicum*, si vel multos testes habet, vel authenticâ ratione constare potest, nempe si ad *forum externum* coram iudice traducatur; *privatum*, si prædictis notis caret.

At factum naturale, si pensetur quoad suam utilitatem, erit *gravis* vel *levis* momenti; si quoad *præjudicia* vel *passiones* hominum, poterit eis *favere* vel *adversari*, vel esse *alienum*. — Quod si inspiciatur *in seipso* seu in variis suis